



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo||nis Episcopi Hal-||berstatten[sis] Homiliarum,  
nunc sexto || maiori [pro] ante hac unquam dili||gentia  
excusarum, || Pars ...**

praeter omnes omnium appendices, accesserunt iam recens homiliae  
aliquot piæ, ante hoc tempus excusæ nusquam

Pars Aestivalis

**Haimo <Altissiodorensis>**

**Haimo <Halberstadensis>**

**Coloniae, 1551**

**VD16 H 222**

Ambulans Iesus iuxta mare Galilææ Matt. 4.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-39335**

in ædificationibus nihil fundamento prius ponitur, sic quicumq; amorem dei omnibus rebus præponit, & si pulsari potest, tamē cadere nescit: quia superiecta titubare nesciunt, quando fixa stant ea quæ continent. Vnde alibi de ecclesia dicitur, Et portæ inferi nonn præualebunt aduersus eam.

Mat. 6.

HOMILIAE ALIQVOT DE  
SANCTIS, TVM PROPRIAE  
singulis, tū communes omnibus.  
IN DIE CELEBRI SANCTI

Andræ apostoli.

Matth. III.

In illo tempore Ambulās Iesus iuxta mare Galilææ, uidit duos fratres, Simonem qui uocatur Petrus, & Andream fratrem eius. Et reliqua.



IN omnibus operibus suis, quæ dominus Iesus Christus nobis admirandum ostendit, hoc declarare dignatus est, quia si uirtutes aīę uolumus accipere, prius tentationū stimulos debemus superare. Deniq; prædicaturus mundo euangelium, prius a Iohanne baptizatus. secessit in desertum, ibiq; quadraginta dieb<sup>9</sup> & quadraginta noctibus ieiunans, trinam tentationem diaboli superauit; inde egressus, ambulans iuxta

mare Galilææ, ut præsens lectio narrat, discipulos  
 elegit: nos nimirum in hoc factio instruens, qui si  
 uolumus bonum accipere, prius a malo debemus  
 declinare. Est enim ordo recte uiuendi, ut prius ui-  
 tia superet, qui uirtutes uult accipere: quia supera-  
 to diabolo dominus discipulos eligere noluit, ut  
 ostenderet nobis tunc uirtutū culmen posse ascen-  
 dere, quando tentationes diaboli fortiter supera-  
 uerimus, quoniā sicut ait Apostolus: Tribulatio  
 patientiam operatur, patientia uero probationē. **Rom. 5.**  
 probatio autem spem, spes uero non confundit:  
 quia charitas dei diffusa est in cordibus nostris per  
 spiritū sanctum, qui datus est nobis. ¶ Sed de uo-  
 catione apostolorum locuturi, primum de situ lo-  
 ci, in quo hæc facta fuisse memorantur, aliqua cō-  
 memoranda sunt. Hoc enim mare, quod nunc Ga-  
 lilææ dicitur, propter uarietates adiacentium loco-  
 rum, uarijs censetur nominibus. Dicitur enim ma-  
 re Galilææ, propter adiacentem prouinciam Gali-  
 læam. Dicitur & mare Tiberiadis, a Tiberiade ciui-  
 tate. Dicitur & stagnum Genezareth, eo quod flan-  
 tibus uentis, crispantibus undis, auram ex se gene-  
 rare uideatur. Dicitur & lacus Genezareth, propter  
 eandem ciuitatem sibi adiacentem. Et a quibusdam  
 mare asphaltum, propter inopportunitatē portus  
 uocatur. Extenditur autem in longitudine CXL,  
 stadia, in latitudine XL. Nec propterea mare dici-  
 tur, eo quod amara sint aquæ eius (sunt enim dul-  
 ces ad potandū, habiles et ad piscandum) sed idio-  
 ma linguæ Hebrææ est, omnes congregatiōes aqua-  
 rum uocare mare, sicut in Genesi scriptum est: Cō-  
 gregationes aquarū appellauit maria. Sed ut hæc  
 spiritualiter consideremus, non ab re putandum est,

quod euangelista dominum non sedisse, nec stetit se, sed deambulasse iuxta mare Galilæe descripsit, ipsa enim motio dominici corporis, a mysterio uacua non est putanda. Mare ergo in hoc loco, mundum significat. Et pulchre, quia sicut mare immobile esse non potest, sed semper accedit & recedit, sic mundus diuersis perturbationibus & fluctuationibus commouetur. Hinc per Psalmistam dicitur: Commouisti domine terram. Vnde mare a meando dicitur, et quod semper accedat & recedat significat (ut dictum est) mundum, qui crescit nascendo, decrescit moriendo, eleuatur in prosperis, deicitur in aduersis. Ad hoc ergo mare dominus uenit, quando per incarnationis suæ mysterium mundo uisibilis apparuit, quando (ut ait Apostolus) semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inuetus ut homo, humiliavit semetipsum. Non autem stetit se uel sedisse, sed perambulasse dicitur: quia non, sicut ceteri mortales in mundo cum esset natus, ut ceteri homines permansit, sed post doctrinam sancti euangelii, post ostensionem miraculorum, post suam sacram passionem resurgens a mortuis, uictor ad celum rediit, sicut ipse ait: Exiui a patre, & reli. hoc significauit deambulatio eius. De cuius motione uel transitu per Petrum dicitur: Qui pertransiuit benefaciendo & sanando omnes oppressos a diabolo. Neque illud absque consideratione prætermittendum est, quod dominus discipulos electurus, iuxta mare ambulauit, qui postea coram illis super fluctus maris ambulasse narratur. Vt enim diximus, mare mundum significat. Discipulis ergo in mari piscantibus, dominus secus mare ambulauit: quia

**Psal. 59.**

**Phi. 2.**

**Iohã. 16.**

**Act. 10.**

et si uenit in mundum per naturam, alienus fuit tñ  
 a mundo per culpam: quoniam sicut Petrus uera- **1. Pe. 2.**  
 cissime testatur, Peccatum nō fecit, nec inuentus  
 est dolus in ore eius. ¶ Sed forte quaerit aliqs, qua  
 re dominus discipulos primum a Galilæa eligere  
 uoluit, & non a Iudæa, uel cæteris regionibus, quæ  
 nobiliores putabantur. Ad quod qui curiosus est,  
 respondere potest, quia quanuis gloriosa domini  
 natiuitas prius in Iudæa sit celebrata, tamē eius fan-  
 cta conceptio primum in Galilæa ab angelo uir-  
 gini est annūciata, Luca euangelista teste, qui ait:  
 Eodem tempore missus ē Gabriel angelus a deo **Luc. 1.**  
 in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad uir-  
 ginem desponsatam uiro, cui nomen erat Ioseph.  
 Et post pusillū adiecit: Ne timeas Maria, inuenisti  
 gratiam apud dominum, ecce concipies & paries  
 filium, Dignum enim erat, ut ubi caput nascendi  
 sumpserat exordium, inde membra horum accipe-  
 rent incrementum: & ubi ortum primum sol iusti-  
 tiæ dederat, inde stellæ fulgentes mundo appare-  
 rent: & ubi uirgo audierat, Ecce cōcipies: ibi pesca- **Luc. 8.**  
 tores audirēt, Venite post me. Siue idco a Galilæa  
 dominus discipulos eligere uoluit, quia per uirtu-  
 tem miraculorum, per manifestationem suam, pri-  
 mum in Galilæa mundo innotuit. Primum enim  
 miraculum in Cana Galilææ fecisse legitur, quan-  
 do ex aqua uinum fecit, & manifestauit gloriam **Ioh. 2.**  
 suam. & crediderunt in eum discipuli eius. Et Pe-  
 trus: Vos scitis uerbum, quod factum est in uniuersa **Act. 10.**  
 Iudæam, post baptismum quod predicauit  
 Iohannes, Iesum a Nazareth, incipiens a Galilæa.  
 Nos autem dicimus primum discipulos a Galilæa  
 eligere uoluisse, propter sacramentum ipsius no-  
 TT V

minis. Galilea namq[ue] transmigratio facta, siue re-  
uelatio perpetrata interpretatur, & cum dominus  
discipulos a Galilæa elegit, nos instruxit, ut si eius  
discipulatu[m] adherere uolumus, primum de uitijs  
ad uirtutes trāsmigrare debemus, & de mūdi amo-  
re ad amorem dei, dicētes cū propheta: Qm̄ ad-  
ueni & peregrini sumus apud te, sicut omnes pa-  
tres nostri, ut in Galilæa, id est, in reuelatiōe eter-  
na faciem domini contēplantes, dicamus cū Apo-  
stolo: Nos autem reuelata facie gloriam domini  
contemplantes, transformamur a charitate in cla-  
ritatem, tanq[ua]m spū dei. [Vidit duos fratres, Simo-  
nem, qui uocatur Petrus, & Andream fratrem eius,  
mittentes retia sua in mare, & uocauit eos.

Videre dei, eligere est: sicut nescire, reprobare.

Sicut enim illos nescit, quos reprobat, unde in si-

**Mat. 25,** nem reprobis dicturus est, Nescio uos unde sitis:  
sic uidere eos dicitur, q̄s in æterna præsciencia ele-  
git, sicut cuidam dictum est: Cum esses sub ficu ui-  
di te. Vidit ergo dominus Petrū & Andreā, quos  
per præuenientem gratiam in sorte apostolatus  
dignos elegit. Sed nec illud præmittendū est,  
quod in prima sua uocatione carnales fratres ele-  
git. Petrus enim & Andreas fratres erant non so-  
lum spiritu, sed etiam carne germani. Cū ergo car-  
nis fratres elegit, ostendit, si eius discipulatu[m] uo-  
lumus adherere, fratres esse debemus, non carne,  
sed spiritu: non genealogia, sed charitate. Omnes  
quoq[ue] qui in Christo regenerati sumus, unum pa-  
trem habemus deum, cui quotidie in oratione di-  
cimus: Pater noster qui es in cælis. de quo ipse ait  
in euangelio: Et patrem nolite uocare uobis su-  
per terrā. unus est em̄ pater uester qui in cælis est,

**Ioh. 2.**

**Mat. 6.**

**Mat. 23.**

Huius filios nos esse glorie mur, dicentes cum Apo-  
stolo: Filij dei sumus, sed nondum apparuit quid  
erimus. Mater uero nostra sancta ecclesia est, que  
nos per fidem & sacramentum baptismatis quo-  
tidie spiritaliter generat. Quibus ergo unus e pa-  
ter deus, & una mater ecclesia, cōsequēs est, ut fra-  
tres sint, id est, ut unum sentiant, id ipsi sapiant,  
non dissideant, non discordent, ut in eorum nume-  
ro computētur, quibus saluator ait: Omnes enim  
uos fratres estis. Hos enim spiritales fratres admi-  
rabatur propheta, cum dicebat: Ecce quā bonum  
& quā iucundum, habitare fratres in unū. ¶ No  
tandum autem quod duos fratres elegit, ut osten-  
deret, quia suos discipulos geminam uult habere  
charitatem, dilectionem s. dei & proximi. Vx em̄  
soli, ait scriptura, quia cū ceciderit, non habet sub-  
leuantem. Cuius rei gratia dominus binos elegit,  
binos ad prædicandum postea misit, ut ostende-  
ret quia prædicationis officium nō debet suscipe-  
re, nisi qui dilectionem dei & proximi habet in pe-  
ctore. Vel certe binos elegit, ad confirmandam au-  
toritatem, quia duorum testamentorum doctores  
fierēt, ut impleretur in eis quod ipse alibi ait: Oīs  
seriba doctus in regno cælorum, similis est patri-  
familias, q. pfert de thesauro suo noua & uetera.  
Erant enim piscatores.

Piscatores & illiterati a domino eliguntur, ne fi-  
des credentium, quæ per eorum doctrinam & præ-  
dicationem instruenda erat, in eloquentia uerbo-  
rum, & nō uirtute dei fieri putaretur. Magister hu-  
militatis, qui ueniēs in mundum ait: Discite a me  
quia mitis sum & humilis corde, & inuenietis req-  
m animabus uestris, humilitatis exemplū, quod

1. Ioh. 3.

Mar. 29.

psal. 132.

Eccles. 4.

Mar. 12.

Mar. 11.

in omnibus operibus suis ostenderet, etiam in uocatione apostolorum seruari uoluit. Non enim elegit matrem potentissimam, sed quantum sanctissimam tantum pauperrimam, intantum ut non inueniret agnum, quem pro filio offerret. Nec natus est in domibus cedrinis laqueatis & uario picturę colore decoratis, sed reclinatus est in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Neque inuolutus uestibus purpureis, auro & margaritis resplendentibus, sed sicut scriptum est, Pannis enim inuoluit. Hanc ergo humilitatem, quam in his & his similibus seruauerat, in uocatione duorum non deseruit: quia non elegit potentes uel filios regum, non philosophos uel sapientes mundi, sed pauperes simplices, qui quotidianum uictum arte piscandi quererent, per quorum tantam doctrinam & predicationem, potentes mundi & sapientes ad suam fidem uocauit: quia sicut Apostolus ait, mundus non cognouit per sapientiam deum, placuit deo per stultitiam predicationis saluos facere credentes. Et iterum:

**Luc. 2.**

**1. Cor. 1.**

**2. Cor. 2.**

**1. Cor. 1.**

Et ait illis: Venite post me,

¶ Bene quidem Petrum & Andream uidisse dicitur ac postmodum ad sequendum se uocasse: quia omnes electos prius ex interna dei presentia ad sequendum se uocat, diciturque eis: [Venite post me.]



Quid est dicere, [Venite post me,] nisi me sequimini, meis præceptis & non uestris uoluptatibus obedite: ire enim post dñm, est eius uestigia imitari, sicut ipse ait: Si quis uult uenire post me, abneget semetipsum, &c. Et iterum, Qui non baiulat crucem suam & uenit post me, nõ est me dignus. Vnde in lege præcipitur: Post dñm deum tuum ambulabis. Quid autem in pmissione dicat, audiamus. Ait enim:

Mat. 16.

Luc. 14.

Faciam uos fieri piscatores hominum,

Non dicit piscatores piscium, sed piscatores hominum: nomen mutauit, officium non abstulit.

Ioh. 21.

Nam post resurrectionem legimus eos ille piscatum. Et congrue de piscatoribus piscium, piscatores hominum facere uoluit: quia sicut officium est piscatoris nauem ascendere, retia manibus tenere, & de profundis gurgitibus pisces ad littus trahere: sic isti in gremio ecclesie recepti, nauem fidei ascendentes, retia prædicationis in uerbo & opere habentes, de amarissimis & tenebrosis mundi gurgitibus, multos homines ad ueram lucem traxerunt, quæ ait: Ego sum lux mundi, qui sequitur me, nõ ambulat in tenebris, impleta propheta, quæ dicit: Populus qui ambulat in tenebris, &c. Vide Petrum Hierosolymis retia in manibus tenentem, &

Ioh. 8.

Isa. 9.

multos pisces spiritualiter de profundis gurgitibus capientem. Legimus enim ad eius prædicationem una die quinque millia, altera, tria millia hominum credidisse. Vide beatum Andreã, cuius hodie festiuitatem colimus, in Achaia retia in manibus tenentem, & multos pisces spiritualiter capientem. Non solum enim ad eius prædicationem tota ciuitas, sed etiã tota regio credidisse legitur, sicut ipse ait: Christus me misit ad istam prouinciam, ubi non

Actu. 4.

&amp; 2.

- paruum populum acquisiui. Istos piscatores potest  
 dicebatur ecclesie dominus, cum per prophetam dice-  
 bat: **Ierc. 16.** Mittam piscatores meos, & piscabuntur eos,  
 uenatores meos, & uenabuntur eos de omni mon-  
 te & de omni colle. Sed libet suauiter intueri quod  
 dominus, qui Petrum & Andream de arte piscan-  
 di elegit, Paulum quoque, qui non minoris gratie fu-  
 it, de arte scenofactoria ad predicationis officium  
 uocauit. Sicut enim isti conuenienter de piscatori-  
 bus piscium, piscatores hominum facti sunt, sic de-  
 center ille, qui erat tabernaculorum corporalium  
 aedificator, ad spiritalia tabernacula construenda  
 translatus est. Aedificauit ergo spiritalia taberna-  
 cula, cum sua predicatione ab humanis mentibus  
 culturam demonum expulit, ut habitaret Chri-  
 stus per fidem in cordibus eorum. Aedificauit eti-  
 am spiritaliter Christo tabernacula, quando ab  
 Ierusalem usque Illyricum repleuit euangelio Chri-  
 sti. ut qui corporalia tabernacula morituris ho-  
 minibus aedificabat, postmodum inciperet spiritu-  
 alia deo (ut diximus) construere in animabus in  
 sempiternum uiuentibus. Aedificabat tabernacula  
 deo, quando predicabat: **Ro. 13.** Reddite omnibus debi-  
 tum: cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal.  
 &c. Vel quando precipiebat, qualiter uiri erga  
 mulieres, & mulieres erga uiros deberent esse, quasi  
 tergo parentes erga liberos, & filii erga parentes, quasi  
 ter serui erga dominos, & domini erga seruos. Quorum pul-  
 chritudinem tabernaculorum admirabatur propheta  
 cum dicebat: **Eph. 4. & 5.** Quam pulchra tabernacula  
 tentoria tua o Israel. Et **Nu. 24. psal. 83.** Quam dilecta ta-  
 bernacula tua domine uirtutum, &c. Domini iussionem obe-  
 dientia secuta est apostolorum. Nam sequitur:

At illi continuo relictis retibus & nauis, se-  
cuti sunt illum.

In quorum opere nostra superbia confunditur,  
nostra duritia redarguitur, q̄ quod die flagellis atteri  
mur, & inuis terreamur, signis puocamur, p̄missi  
onibus subleuamur, & inuocantē sequi contemni-  
mus. At uero illi non hunc miracula facientem ui-  
derant, non eius promissionibus subleuati fuerāt,  
& tamen ad unius iussionem relictis omnibus, se-  
cuti sunt illum. Sequamur ergo & nos eos, quos in  
Christo patronos habere meruimus, ut eorum ex-  
emplo incitati, saltem post multas admonitiōes &  
p̄missiōes sp̄tē relinquamus quod quotidie amit-  
timus, ut impleatur promissio dñi dicentis: Beati *Mat. 3.*  
pauperes spiritu, qm̄ ipsorum est regnum c̄lorū.  
Ille enim in c̄lo sedet, qui adhuc in terris de con-  
uersione nostra monet. Sed solent hi qui p̄prias  
uolūta tes abrenunciare nolunt, paupertatis occasio-  
nē in sua excusatiōe p̄ndere, dicentes: Imitari cō-  
tēptores mūdi uolum⁹, sed quod relinquamus nō  
habemus. Quibus nos r̄idemus, q̄a deus omnipo-  
tēs in abrenūciatiōe mūdi nō c̄sum, sed uotū pem-  
sat: nec p̄pendit qd̄ habeas in arca, sed qualem ha-  
beas cōscientiā. Vnde si habeas temporalem rem,  
uende: si autem non habes, de magno onere libera-  
tus es. Tāto ergo liberius Christū seq̄ potes, quan-  
to minus diuitiarum funibus fueris illigatus. Cō-  
siderare etiam tales monemus, quid & quantum  
nostri sancti patres reliquerint. Nōne retia & na-  
uem? Et tamen postea domino promittente audi-  
re meruerunt: Omnis qui reliquerit domū, agros, *Mat. 19.*  
patrē & matrem, uxorē & filios, fratres & sorores

**Ibid.**

propter me, centuplum accipiet, & uitam æternam possidebit. Petrus in persona omnium libere rñdit: Domine, ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid ergo erit nobis? Et ille q ( ut diximus) non censum, sed uorum pensat, ait: Amen dico uobis, quia uos qui reliquistis omnia & secuti estis me, in regeneratiōe cum sederit filius hominis in sede maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Israel. Parum uidetur Petrus & Andreas reliquisse in retibus & nauu, & magnam gratiam & præmium a domino accepisse. Sed tamē multum reliquerunt, qui uoluntatem habendi abnegauerunt. Tm̄ enim a sequentibus relinquitur, quātum a non sequentibus concupisci potest. Quoniam regnum dei, quantum habes, tm̄ ualet. Valuit Zachæo dimidium substantiæ, ualuit Petro & Andreæ nauem & retia: sicut cum omnia relinquerent, nihil pfuit Hermogeni & Socrati, quia Christum nō fuerunt imitati. Vallet etiam calicem aquæ frigidæ: & si hæc oīa defuerint, sola bona uoluntate cōparari potest. Quia domino nato, cæli ciues in terris uisi sunt, q clamarent: Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Bene autem postquam dixit, [relictis om̄ibus,] adiunxit, [secuti sunt eū:] quoniam in uacuum omnia sua relinquit, qui Christum non sequitur, id est, imitatur. Sed inter hæc omnia cōsiderādum est, qualis artifex sit spiritus sanctus, qui sine mora mentem, quam tangit, non solum immutat, sed etiam habet & docet. Tetigit puerum citharædum, & Psalmistam fecit. Tetigit armentarium sycomoros uellicantem, & prophetam fecit. Tetigit abstinentem iuuenē, & iudicem

**Luc. 19.**

habes, tm̄ ualet. Valuit Zachæo dimidium substantiæ, ualuit Petro & Andreæ nauem & retia: sicut cum omnia relinquerent, nihil pfuit Hermogeni & Socrati, quia Christum nō fuerunt imitati. Vallet etiam calicem aquæ frigidæ: & si hæc oīa defuerint, sola bona uoluntate cōparari potest. Quia

**Matt. 10****Luc. 1.****1. Re. 16.****Amos. 7****Dan. 13**

domino nato, cæli ciues in terris uisi sunt, q clamarent: Gloria in excelsis deo, & in terra pax hominibus bonæ uoluntatis. Bene autem postquam dixit, [relictis om̄ibus,] adiunxit, [secuti sunt eū:] quoniam in uacuum omnia sua relinquit, qui Christum non sequitur, id est, imitatur. Sed inter hæc omnia cōsiderādum est, qualis artifex sit spiritus sanctus, qui sine mora mentem, quam tangit, non solum immutat, sed etiam habet & docet. Tetigit puerum citharædum, & Psalmistam fecit. Tetigit armentarium sycomoros uellicantem, & prophetam fecit. Tetigit abstinentem iuuenē, & iudicem

senum fecit. Tetigit publicanum, & euangelistam **Matt. 9.**  
 fecit. Tetigit persecutorem. & doctorem gentium **Actu. 9.**  
 constituit. Tetigit Petrum & Andream, & piscato-  
 res piscium a postolos statuit. Rogandus est ergo  
 a nobis artifex, & deuotissimis precibus supplican-  
 dus, ut mentes nostras tangere dignetur, cuius so-  
 lummodo tetigisse, docuisse est.

Et procedens inde, uidit alios duos fra-  
 tres, Iacobum Zebedæi, & Iohannem fratrem  
 eius, in nauī cum Zebedæo patre eorum, re-  
 ficientes retia sua, & uocauit eos. Illi autem  
 statim relictiis retibus & patre, secuti sunt eum.

Geminata in binis uocatio, superiorem narra-  
 tionem confirmat. Non solum enim semel, sed &  
 iterūbini uocati sunt discipuli, quia duo sunt, quæ  
 erga charitatem proximi solícite seruare oportet.  
 Primo, ut nullum lædamus: secundo, ut bonū quod  
 possumus, impēdamus: quoniam qui dixit, **Quod Tob. 4.**  
 tibi nō uis fieri, alteri ne feceris: ipse alibi ait, **Quod Matt. 7.**  
 uultis ut faciant uobis homines, & uos facite illis.  
 ¶ Zebedæus interpretatur dealbatio, significat dia-  
 bolum. Cui ideo recte nomen dealbationis conue-  
 nit, quia cum sit & merito tenebrosus, ut ait Apo-  
 stolus, transfiguratur se in angelum lucis. Filij ergo **2. Cor. 11.**  
 Zebedæi isti discipuli, qui a domino uocari sunt,  
 fuisse memorantur, quia ut ait Apostolus, **Eph. 24**  
 iræ filij sumus, antequam redimeremur, non condi-  
 tione naturæ, sed imitatione & primi parētis præ-  
 uaricatione. ¶ Nauis Zebedæi, infidelitatem signi-  
 ficat: cuius nauis instrumenta, uitia sunt & peccata.  
 Quæ uia Paulus apostolus enumerat, dicens: **Gala. 5.**  
 scita autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicati-

ones, impunitia, impudicitia, auaritia, idolorū seruitus, ueneficia, & his similia. Sicut autē isti discipuli uocati a domino, relicto patre, secuti fuerunt. & ultra ad patrem non dicuntur reuersi, sic & nos, qui de potestate diaboli per diuinam gratiam liberati, ad cæleste regnum sumus uocati, nec propter amorem patris, nec cuiuscunq; cupiditatis obtentu, ulterius ad eum debemus redire, propter illud quod dominus dicat, Quia nemo mittens manum in aratrum, & respiciens retro, aptus est regno dei: sed infatigabiliter usq; in finem in bono opere perseverare: quia sicut ait saluator, Qui perseverauerit usq; in finem, hic saluus erit. Vnde cuidam dicenti, Domine, sequar te quocunq; ieris, sed dimitte me prius sepelire patrem meum, respondit: Sine mortuos sepelire mortuos suos, tu autē sequere Christum. Sed his de uocatione discipulorū breuiter dictis, libet intueri quod non frustra dominus in prima sua uocatione quatuor discipulos elegit. Quaternarius enim numerus perfectus est, & in suis partibus diuisus, perfectionem significat. Diuiditur namq; in unum, duos & tres. Vnum ergo: quod est prima pars eius, perfectionem significat, quia unus dominus, una fides, unum baptisma, unus

**Luc. 9.**

Ind quod dominus dicat, Quia nemo mittens manum in aratrum, & respiciens retro, aptus est regno dei: sed infatigabiliter usq; in finem in bono opere perseverare: quia sicut ait saluator, Qui perseverauerit usq; in finem, hic saluus erit. Vnde cuidam dicenti, Domine, sequar te quocunq; ieris, sed dimitte me prius sepelire patrem meum, respondit: Sine mortuos sepelire mortuos suos, tu autē sequere Christum. Sed his de uocatione discipulorū breuiter dictis, libet intueri quod non frustra dominus in prima sua uocatione quatuor discipulos elegit. Quaternarius enim numerus perfectus est, & in suis partibus diuisus, perfectionem significat. Diuiditur namq; in unum, duos & tres. Vnum ergo: quod est prima pars eius, perfectionem significat, quia unus dominus, una fides, unum baptisma, unus

**Mat. 10.**

**& 24.**

**Matt. 8.**

deus & pater omnium. Duo, quod est alia pars eius, ad perfectionem pertinent, propter duo testamenta, uel propter geminam dilectionem. Tres uero, propter indiuiduam trinitatem & propter tria tempora, ante legem, sub lege, & sub gratia: uel quia homo interior ex tribus rebus constat, memoria, sensu & uoluntate. Quaternarius autem numerus perfectus est, propter quatuor euangelia, uel quatuor tempora anni, siue propter quatuor elementa,

**Eph. 4.**

deus & pater omnium. Duo, quod est alia pars eius, ad perfectionem pertinent, propter duo testamenta, uel propter geminam dilectionem. Tres uero, propter indiuiduam trinitatem & propter tria tempora, ante legem, sub lege, & sub gratia: uel quia homo interior ex tribus rebus constat, memoria, sensu & uoluntate. Quaternarius autem numerus perfectus est, propter quatuor euangelia, uel quatuor tempora anni, siue propter quatuor elementa,

ex quibus constat in exteriore homine, aere, igne, terra, & aqua frigida, calida, sicca & humida: seu propter quatuor flumina, quæ egrediuntur de paradiso: uel certe propter quatuor principales uirtutes, prudentiam scilicet & temperantiam, fortitudinem & iustitiam. Has etiam uirtutes non solum in numero, sed etiam in nominibus isti discipuli significauerunt. **Petrus enim**, quæ a quibusdam agnoscens interpretatur, prudentiam significat. cuius uirtutis prima pars est, deum eiusque uoluntatem cognoscere: quia sicut insipiens est, qui dicit in corde suo. **Non est deus: ita prudens, qui cognoscit deum.** Hanc uirtutem in se habuit, qui corde hominem uidens, deum cognouit, dicens: **Tu es Christus filius dei uiui.** **Andreas**, qui uirilis interpretatur, fortitudinem significat. Quam uirtutem non solum in nomine, sed etiam in opere habuit, quæ in fide recta usque ad passionem uiriliter perseverauit in Christo, ut etiam cum duceretur ad crucifigendum, uidens crucem, cum gaudio diceret: **Salua crux præciosa, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata es, gaudens & exultans uenio ad te, ut suscipias me ab hominibus, & reddas me magistro meo, ut per te me recipiat, qui per te redemit me.** Per **Iacobum**, qui interpretatur supplanator, iustitia designatur, quæ iniquitatem supplantat & æquitatem nouit diligere. Quam in omnibus actibus nostris habere debemus, sicut propheta dicit: **Indicabo tibi homo & reli.** **Iohannes**, qui interpretatur gratia dei, uel in quo est gratia temperantiam designat, quæ alio nomine discretio uocatur, & est mater omnium uirtutum. Hanc uirtutem habebat ille qui dicebat: **Angelus noster es, an aduex**

Psal. 139.

Matt. 16.

Mich. 6.

Ios. 5.

sauiorum? Vt enim homo prudens, fortis & temperatus sit, non a se habet, sed per diuinam gratiam accipit. Cum ergo dominus in prima sua uocatione quatuor discipulos suos elegit, in ipso numero nobis innotuit, quia si eius discipuli esse uolumus, has quatuor uirtutes habere debemus: ut simus Petrus, bonum agnoscēdo, ut uideamus præterita, præsentia & futura, propter illud quod do-

**Mat. 10.** minus admonet, dicens: Estote prudentes sicut serpentes. Et ipse Petrus, Estote prudentes, & uigilate in orationibus Andreas, uiriliter, quod bonū cognoscimus, per fortitudinem tenendo, sicut angelus admonet Iohannem in Apocal. dicens: Estote fortes in bello, & pugnate cum antiquo serpente, &c. Iacobus, uitia cum iustitia supplantando, ut in omnibus actibus iustitiam teneamus, sicut ait Apostolus, iuste & pie uiuamus. Et Salomon: Diligite iustitiam qui iudicatis terram. Iohannes, gratiam dei adipiscendo. Et cum ipso discretiōem habeamus, ut inter bonum malumq; discernētes, bonum teneamus & malum relinquamus, propter illud Apostoli: Omnia autē probate, quod bonū est tenete. Quod cum fuerimus, habebim⁹ in quadriga Cherubim faciem hominis per prudentiam, leonis per fortitudinem, uituli per iustitiam, aquinæ per discretiōem. ¶ Allegorice autem per hos quatuor discipulos, ut quidā dicunt, duo populi figuratur. Petr⁹ em̄ q; interpretatur agnoscēs, populū Iudæorū significat, q; in cæremonijs obseruādis deū cognouit. Id idē significat Iacobus, q; gētilē fratrem suū prius credēdo supplātauit. Andreas, qui interpretatur uiriliter, populū gentiū significat, q; postq; deū credidit, uiriliter in fide pmanst. Eundē signifi-

**1. Pe. 4.**

**Ti. 2.**

**Sap. 1.**

**1. Thef. 3**



car Iohānes, qui interpretatur gratia dei, q̄a genti-  
lis populus, gratia dei subueniente, saluari meruit,  
non suis meritis, sed sicut Paulus dicit: Gratia dei  
saluæ factæ sunt gentes. Imitemur ergo hos dei **Eph. 2.**  
apostolos, ut per gratiam ipsius mereamur salua-  
ri, quemadmodum & illi. Quod ipse præstare di-  
gnetur, qui sine fine uiuit & regnat &c.

IN NATIVITATE SANCTI

Iohannis Baptista.

Luca. 1.

In illo tempore Elizabeth impletum est  
tempus pariendi, & peperit filium. Et audie-  
runt uicini & cognati eius. Et reliqua.



**N**on solum opera &  
uirtutes sanctorū  
plena sunt admi-  
ratiōibus, sed etiam ipsa  
uerba, quibus ad memo-  
riam posterorum scribū-  
tur, aliquando a myste-  
rijs uacua non sunt, quod  
in exordio huius lectiōis  
euangelista ostendere uo-  
luit, cum præcursoris dñi  
natiuitatem descripturus,  
ait [ Elizabeth impletum

est tempus pariendi, & peperit filium. ] Verbum  
impletionis scriptura sacra in bonorum tantū or-  
tu a c̄tu uel obitu ponere consueuit. Deniq; imple-  
ti sunt dies Mariæ parere filium. Et Elizabeth im-  
pletum est tempus pariendi. Et Salomon impleuit  
edificare domum domini. Mortuus est autē Abra **3. Re. 9.**

VV iij